



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

XXII. De ceteris religiosorum ordinibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)





## CAP. XXII.

DE CETERIS RELIGIOSORUM  
ORDINIBUS.

## I.

Canonici  
regulis  
subiecti  
vocantur  
regula-  
res.

**I**N *emendatione cleri* quoque desudavit sæcu-  
lum XI. Calamitates enim publicæ, quæ  
*monachorum disciplinam* everterant, facilius cle-  
ricos, ab hominum commercio non separatos,  
perdiderunt, ut non solum convictum desere-  
rent, sed & passim concubinis uterentur. His  
vitiis obviam ivit PETRUS DAMIANUS<sup>1</sup>,  
eoque impulsore Nicolaus II. an. 1059. con-  
cilium CXIII. episcoporum Romæ convoca-  
vit, quo, simonia & concubinato damnato,  
statutum est, ut clerici *communi dormitorio &*  
*refectorio* uterentur, eaque, quæ ab ecclesia  
accipiunt, in commune conferrent, vitamque  
agerent apostolicam, h. e. omni proprietate  
destitutam<sup>2</sup>. Idem decretum in concilio plus  
C. episcoporum, ab Alexandro II. 1063. con-  
vocatorum, repetitum. Qui igitur clerici,  
proprietate abdicata, ad nutum horum decre-  
torum vivere constituerunt, ii *canonici regula-*  
*res*; qui autem laxiorem disciplinam mordi-  
cus tenere, *canonici seculares* audierunt.

1) *Opusc.* 24. *dist.* 23. c. 1.

2) *Hist. eccl.* l. 60. n. 31. l. 41. n. 5. 6.

sequun-  
tur regu-  
lam Au-  
gustini.

II. QUUM autem regula Aquisgra-  
nensis in nonnullis falleret, recursum est ad  
institutionem AUGUSTINI, dictumque, ca-



nonicas regulares sequi *regulam Augustini*, quamquam non satis constet, quodnam e scriptis Augustini pro regula assumptum sit, num sermones de *vita monastica* 355. 356. an vero *epistola ad monasterium*, cui soror ejus præerat. Quidquid hujus est, *regula Augustini* ex eo tempore generatim clericis religiosi, quemadmodum *regula Benedicti* monachis, proposita fuit.

III. CANONICORUM regularium sæculo XI. & XII. magna fuit auctoritas, quum in plerasque ecclesias cathedrales reciperentur<sup>1</sup>. Ipse Alexander II. eos recepit in ecclesiam suam patriarchalem S. Joannis in Laterano, quæ congregationis cujusdam caput fuit. In Francia idem contigit, teste ecclesia S. Rufi prope Valentiam ad Rhodanum, & S. Victoris apud Parisios an. 1110. Sic ad exemplum novorum ordinum monasticorum *canonici* separata corpora constituere cœperunt, in quibus *ordo Præmonstratensium*, a S. Norberto an. 1120. fundatus, omnium est illustrissimus<sup>2</sup>.

Præmonstratenses.

1) *Molinæi Rust.* 4. 2) *Hist. eccl.* l. 67. n. 17.

IV. EXPEDITIONES cruciatæ novum atque hæcenus inauditum genus religiosorum pepererunt, *equestres* scilicet ordines, quorum celeberrimus est *ordo S. Joannis Hierosolymitani*, qui originem suam debet xenodochio. Inde a temporibus Raymundi de Puteo, qui tertius fuit xenodochii illius rector, tria hominum genera, videlicet *equites*, *fratres servientes* & *clerici*, hunc ordinem constituerunt, quod patet ex bulla Anastasii IV.

Equites regulares Joannitici.



an. 1154. <sup>1</sup>. Amissa terra sancta, Rhodum  
an. 1310. indeque an. 1530. Melitam Insulam  
petierunt.

1) *Hist. eccl. l. 70. n. 12.*

& Hispani-  
nici.

V. IN Hispania, quum ea ex parte a  
Saracenis etiamnum premeretur, plures *ordi-  
nes militares* instituti fuerunt, quorum alii Au-  
gustini, alii Benedicti, alii Cisterciensium re-  
gulam secuti sunt: intra solos Hispaniarum fi-  
nes contenti, maximam partem in statum sã-  
cularem & confraternitates equitum abierunt,  
qui matrimonia contrahunt, nec ab aliis equi-  
tibus distinguuntur, nisi quod insigne ordinis  
super amictu gestant, & *commendis* potiuntur.  
Cujus generis confraternitates sunt Ordines S.  
Michaelis, S. Spiritus, aurei velleris, peris-  
celidis, & si qui alii principum privata devo-  
tione instituti.

Hospita-  
larii,

VI. SUNT etiam plures ordines *hospi-  
talariorum*, qui vel ægrotantium, vel viatorum,  
religionis causa, curam habent. Hi omnes  
sequuntur regulam Augustini, quippe a cleri-  
cis originem habentes; nec equites Joannitici  
ob aliam causam Augustini regulam obser-  
vant, quam quod sunt hospitalarii. Alii *re-  
demtioni captivorum* speciatim semet addixe-  
runt.

mendi-  
cantes,  
sive vel  
domini-  
cani seu

VII. SED omnium religiosorum cele-  
berrimus est ordo *mendicantium*. S. DOMI-  
NICUS, Osimensis in provincia Castellana ca-  
nonicus, episcopi sui in itinere comes, an.



1206. in Septimania substitit, ad conversionemque Albigensium animum adjecit, una cum aliis nonnullis presbyteris. Quum rem bene gereret, HONORIUS III. an. 1216. clericis, in prioratu S. Romani Tolosani ad regulam S. Augustini viventibus, ad quam Dominicus, veluti canonicus, jam obstrictus erat, qui clericos illos regebat, peculiare privilegium impertivit: qui vocati sunt *fratres prædicatores*.

fratres  
prædica-  
tores,

VIII. IISDEM temporibus FRANCISCUS, mercatoris Assisientis filius, qui, extremam paupertatem professus, voce & exemplo omnes ad pœnitentiam excitabat, nonnullos socios, partim clericos, partim laicos, adscivit, ipse literarum pæne rudis, &, spreto presbyteri gradu, diaconi ordine contentus. Ipse laborem corporis exercuit, suisque commendavit, sic tamen, ut, si opus esset, panem emendicare non erubescerent. Eos *fratres minores*, quasi ceteris inferiores, appellavit, formavitque ad certam regulam, ab Honorio III. 1223. confirmatam, quam eodem tempore civis ejus, S. Clara, cum virginibus suis amplexa est, quarum ordo vocatur *secundus S. Francisci ordo*, quemadmodum *tertius* consistebat ex viris & feminis, in hominum cœtu, immo etiam in matrimonio, viventibus, sed tamen peculiari voto ad pietatem & ad regulam Franciscanam, quoad ejus fieri poterat, obstrictis.

vel Fran-  
ciscani  
seu fra-  
tres mi-  
nores,

IX. EODEM sæculo ineunte Albertus, patriarcha Hierosolymitanus, Eremitis, in

vel Car-  
melita,



*monte carmel* austeram vitam viventibus, regulam præscripserat: quorum nonnulli in Europam profecti confirmationem regulæ impetrarunt an. 1226. Ludovicus IX. Parisios eos traduxit an. 1254. quos *Carmelitas* appellamus.

vel Ere-  
mitæ Au-  
gustinia-  
ni.

X. IISDEM temporibus Alexander IV. plures *eremitarum*, cum nomine, tum institutis differentes, congregationes conjunxit sub appellatione *eremitarum S. Augustini*. Atque hæ sunt quatuor potiorum *ordinum mendicantium* origines. Nam hi omnes præ se tulerunt abdicationem plenam omnis proprietatis, ut ne quidem in commune quid proprii possiderent, sed diurna fidelium stipe viverent. Plerique eorum clerici fuere, literis, prædicationi, administrationi sacramentorum, conversioni hæreticorum & peccatorum insudantes. His officiis *Dominicani* præcipue vacabant, quemadmodum extremum paupertatis studium *Franciscanos* potissimos auctores habet. Sed paullo post eadem prorsus horum ordinum, qui subito immensum excrevere, facies emerfit. Propositum iis fuit, conjungere perfectiones vitæ *monasticæ* & vitæ *clericalis*; austeritatem vitæ & vestitus, orationem, literas & aliorum hominum emolumentum. Sed *functiones clericales* obfuerunt labori corporis, solitudini & silentio veterum monachorum; quemadmodum obedientia superioribus præstanda, qui eos sæpe ex domo in domum, ex provincia in provinciam transfulerunt, impedivit stabilitatem veterum clericorum, qui Ecclesiis suis unice affixi, Episcopis plenissime paruerunt.

XI. IN-



XI. INDE saculo XVI. plures novæ Congregatio clericorum Theatinorum, clericorum congregationes emerferunt, quibus emendatio morum & disciplinæ ecclesiasticæ, nec non novarum hæresium impugnatio, fuit proposita. Prima est *Theatinorum*, quos Marcellus Cajetanus, Vicentinus, & Petrus Caraffa, Neapolitanus, tum Theatenfis Episcopus, post Papa Paulus IV. an. 1524. collegerunt.

XII. DECEM post annis Ignatius Loyola ex voto, quod cum X. primis sociis in oratorio Montismartrensi prope Parisios emiserat, novæ societatis institutum prodidit, a Paulo III. 1540. confirmatum. Huic aliorum hominum emolumentum, institutio juventutis, prædicatio, hæreticorum refutatio, pœnitentiæ administratio, propositæ fuere. Nomen *societatis Jesu* placuit, quod per universum orbem habitatum penetravit successu in omnium oculos incurrente. Sunt in ea quadruplicis generis homines, *discipuli, coadjutores spirituales, professi & coadjutores temporales*. *Professi* totius societatis robur sunt, nec ex prima instituti approbatione ultra LX. esse debent: sed summa eorum cum necessitas, tum utilitas legem migravit. *Coadjutores spirituales* sunt presbyteri adgregati, iisdem functionibus, quibus professi, vacantes, si institutio nem Theologiæ exceperis: eodemque vinculo societati devincti. Sed societas illos pro lubitu dimittere potest. *Coadjutores temporales* sunt instar *fratrum laicorum* inter monachos. In Francia sine discrimine, ex quo votum nun-



cuparunt, religiosi habentur, nec, si e societate excedunt, hereditates petere possunt. Præter tria vota ordinaria professi spondent Papæ *devotam obedientiam* in omnibus, quæ ad salutem animarum & ad fidem propagandam pertinent. Sed Papa non utitur jure suo, quod permittit *Jesuitarum generali*. Et isti quidem sunt illustriores religiosorum hominum ordines, qui ad quinque genera, *monachorum* videlicet, *canonicorum*, *equitum*, *mendicantium* & *clericorum regularium* reduci possunt.

1) *Constit. societ. Jes. part. 2. c. 1.*



## C A P. XXIII.

DE VOTIS ET DE PROFESSIONE  
RELIGIOSA.

## I.

Religiosi  
ad regulam  
adstringuntur  
voto.

**H**OMO religiosus nostro sensu est *Christianus*, solemniter voto ad consilia evangelica, moribus & vita, secundum regulam quamdam, in Ecclesia approbatam, exprimens, obstrictus. Votum igitur solemniter primario constituit *religiosum*. Est autem **VOTUM** *promissio Deo facta de quovis bono opere, ad quod non tenebamur, veluti jejuniis, elemosynis, peregrinatione religionis causa suscipienda. Ad votum faciendum requiritur ætas matura, h. e. plena pubertas, libertas & facultas votum implendi<sup>1</sup>. Sic uxor vovere non potest sine consensu mariti. Votum *simplex* est quod fit privatim sine solemnibus. Hoc quidem conscientiam æque obligat<sup>2</sup>; sed, si sine præ-*